

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Nehemias.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

literæ ad Asaphum regiæ sylvæ custodem, qui mihi ligna suggerat, ad reficiendas portas arcis, quæ est ædi conjuncta: Urbisque mœnia, & domum, in quam sum diversurus. *A.* Dabuntur, quæ petis. *N.* Ago tibi gratias immortales, Rex, tibique fortunatissimum, longissimumque regnum precor.

SENTENTIA.

Regis animum Deus habet in manu, eumque, quocunque vult, inclinat. Cui propitius est Deus, huic conciliat benevolentiam potentium.

NEHEMIAS. Nehem. 5.

ARGUMENTVM.

Expostulant pauperes Judæi de divitum erga se iniquitate avaritiæ. Et Nehemias divites cogit in ordinem.

Plebeji, Nehemias, Primate, Sacerdotes, Populus.

Magnus est tum nostrum, tum nostrorum libe-
rorum numerus: a) comparandum est in-
de frumentum, quo vivamus. *Al.* Oppignorandi
sunt fundi nostri, & vineæ, & domus, ut nos fru-
mento contra famam muniamus. *Al.* Jam pro
nostris agris, & vineis, ad tributum Regi penden-
dum, pecuniam sumpsimus mutuam: b) An
æquum

a) Vendendi sunt, ut comparemus.

b) Ejusdem generis homines tam dispari esse condi-
tione, iniquum est.

O



æquum est, cum ejusdem nobiscum consanguinitatis sint alii, eademque sit liberorum eorum atque nostrorum conditio, vos tamen liberos nostros in servitutem dedamus, fintque jam filiarum nostrarum nonnullæ emancipatæ, neque eas vindicare possimus, cum fundos & vineas nostras te-neant alii? *N.* O indignum facinus! Itane vero Principes, fœnus a vestris exigitis? Ergo nos consanguineos nostros Judæos, in exteris gentes venditos, pro nostris viribus redeinerimus: & vos eosdem emctis, ut dominos non amiserint, sed mutaverint? Non recte facitis. Nonne in metu Dei nostri vivetis, ut barbarorum hostium nostrorum vituperationem evitetis? Ego quoque, & mei cognati atque famuli, argentum eis, frumentumque mutuo dedimus. Agite, remittamus hoc nomen, reddite eis hodie agros suos, & vineas, & oliveta, & domos: tum centesimam condonate argenti, & frumenti, & vini, & olei, quæ eis mutua dedistiis. *P.* Reddemus, neque ab eis quicquam exigemus. Sic faciemus ut tu hortaris. *N.* Vos vero Sacerdotes, jurate vos ita facturos. *S.* Faciemus. *N.* Ergo quemadmodum ego meum gremium excutio, si quicunque non haec præstiterit, eum excutiat DEUS ex domo & labore suo: sique esto excusus, vacuusque *P.* Amen.

SENTENTIA.

Avaro homine nihil est iniquius. Avarus animum venalem habet. Multum pollet etiam apud iniquos, justus & gravis homo.

VERI-



VERITAS. Esd. 3.

ARGUMENTVM.

Darius Persarum Rex proponit optimatis suis trium stipatorum suorum sententias ad judicandum, quænam esset optima. Sunt autem eæ, de viribus vini, Regis, mulierum & veritatis. Hic quin stipatores iussu Regis suæ quisque sententiæ rationem reddidissent, palmam obtinuit Zorobabel, qui veritati primas tribuisset: & a Rege, præter statutum disputationis præmium, impetrat, ut Hierosolymitanum fanum instauret.

Darius, Anagnostes, Stipator; Alter stipator, Zorobabel, Optimates.

Hæc causa est, mei proceres, cur vos jussi in convocari. Cum mei corporis custodes, dormiente me, inter se (ut fit) confabularentur, eo delapsi sunt, ut certatim dicerent suam quæsententiam, ecquæ res maximam vim habeat, ea conditione, ut cuius dictum ego & Perfidis triumviri doctissimum judicassemus, huic victori pronunciato ea darentur, quæ jam audietis. Recita schedulam. *An.* Cujus dictum sapientissimum erit, is a Dario Rege ingentia dona, & viatoriae ornamenta consequitor, purpuraque induitor, & auro bibito, & in auro dormito: & aureis

O 2

frenis

